



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et
Olim Complvti Sacrae Theologiae Professoris. Opvs
Theologicvm, iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Dissertivr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Quæst. 8. Vtrùm veritates quiditatiuæ entium non existentium tum
possibilium, tum etiam impossibilium aliquà ratione dici possint esse in
tempore. Et qualiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

entis in statu conditionato, & eius negatio in absoluto non sunt oppositæ; atque idcirco utraque hæc propositio est vera, *Fœvus existeret hodie, si Deus vellet. Negatio Petri existit hodie.* Sic existentia entis in vno tempore, & eius negatio in alio non sunt oppositæ. Atque adeo utraque hæc propositio similiter est vera, *Fœvus existit anno præterito. Negatio Petri existit hodie.* Ex quibus patet solutio argumenti facti.

155 Tertiò obijci potest, Ens non affixum per se determinato tempori consideratum præcisè ut existens in nullo tempore est durans, donec accedit duratio affigens illud huic, vel alteri tempori. Ergo negatio illius præcisè sumpta ut existentis à nullo tempore, sed præcisè ab existentia, siue ab statu existentiali excludit formaliter illud. Hinc autem duo sequuntur. Primum, talem negationem in nullo tempore esse posse, sed solum in statu existentiali; quia ibi dumtaxat est negatio, unde per se formaliter excludit ens, quod negat; negatio autem dicta solum excludit per se formaliter ens, quod negat, ab statu existentiali, non verò ab vilo tempore, ut dictum est. Secundum, quando prædictum ens aliquando existit, eius existentiam præcisè sumptam indifferenter ad quoduis tempus dari intra statum existentialem; sicque intra eundem statum negationem ei contradictoriè oppositam cum simili indifferentiâ dari non posse; & consequenter neque in vilo tempore: quia quod intra statum existentialem non datur, in nullo tempore datur: cum prius sit existere; quam in aliquo tempore existere, ut constat.

156 Respondeo, negationem quidem entis non affixi determinato tempori dumtaxat excludere, formaliter existentiam eius præcisè: atque adeo ex vi excludendi eam formaliter in nullo tempore eam existere, sed tantum in statu existentiali præcisè, etiam, quando citra omnem controuersiam existens est; uti euenit quando ens negatum nunquam existit. Alio tamen titulo in tali casu existit illa in omni tempore: quia scilicet licet non formaliter, consequenter tamen excludit illa ens, quod negat, ab omni tempore; quatenus intimè, & necessariò est connexa cum negationibus durationum ipsius entis omnibus partibus temporis correspondentium: quæ negationes, sicut & durationes quas per se formaliter remouent, suoapte conceptu sunt per se affixæ ipsis partibus temporis. Quæ doctrina iam à nobis in præcedentibus exhibita est. Per eamque patet, quid sit dicendum ad primam argumenti facti illationem. Per quam profectò nihil speciale profertur pro casu, quem modò versamus. Siquidem difficultas, quam obtendit, ab omnibus est eleuanda, etiam pro casu, quod non existente in vilo tempore, eate negato, citra omnem controuersiam est existens negatio eius. Vel eoque saltem titulo est ab omnibus asserenda existens in omni tempore, quod nulla omnino ratio est, cur asseratur existens potius in vno, quam in alijs temporibus; nec potest existere, & in nullo tempore existere iuxta doctrinam statutam supra quæst. 6.

157 Ad secundam ergo argumenti oppositi illationem, quæ magis ad casum nostrum facit, respondeo deinde, quamuis ens determinato tempori non affixum ex se sit indifferens ad durandum in quolibet; attamen nec potest non durare in aliquo, si existit, iuxta doctrinam statutam dicta quæst. 6. nec potest non esse determinata in parte determinata temporis duratio, quam, si

existit, habet de facto. Quo fit, ut quotiescunque existit, in gradu etiam determinato status existentialis determinatæ temporis parti correspondente debeat existere. Cumque status existentialis latitudinem habeat penes latitudinem temporis, sine quo nequit esse, eiusque gradus diuersi velut diuersi status sint in ordine ad suscipienda sine contradictione contradictoria extrema prout num. 154. dictum est. Consequens est, ut, cum ens prædictum in vno gradu, in vnoque temporis parte existit, & durat de facto, locus detur, ut eius negatio absque vllâ contradictione in alio gradu, in aliâque temporis parte existat, & duret. Indifferentia enim, quam tale ens præcisè à nobis consideratum habet ad existendum in quolibet gradu status existentialis, non facit illud de facto extensum ad omnes, proindeque neque de facto excludens suam negationem ab illis; sed in eo signo præcisionis velut suspensum manet, & expectans durationem, per quam de facto determinetur aut ad integrum statum, si sit duratio in toto tempore, (ut fortasse est possibilis de quo alibi), aut ad vnum eius gradum præ reliquis, si sit duratio in vna parte temporis etiam præ reliquis, qui est casus, de quo nos tractamus, in quo subinde locus superest, prout dictum est, ut in aliquo reliquorum graduum, in aliquaque reliquarum temporis partium negatio supradicti entis existere, & durare possit sine contradictione. Quo tota doctrina nostra, & communis à technis sibi obtentis libera manet.

QVAESTIO VIII.

Virum veritates quiditatuæ entium non existentium tum possibilem, tum etiam impossibilem aliqua ratione dici possint esse in tempore. Et qualiter.

158 **S**uppono primò (ut alijs supra disput. 5. quæst. 10.) ex dictis in Pharo Scient. disput. 10. infinitas esse veritates quiditatuas, seu pertinentes ad statum quiditatuæ entium non existentium tam impossibilem, quam possibilem. De quo ibi plura.

159 **S**uppono secundò, eiusmodi veritates neque in loco, neque in tempore dici esse cum omni proprietate, & rigore: quia sic solum censentur esse in loco, & in tempore res actualiter existentes; quales dictæ veritates non sunt. Difficultas igitur modò est, an aliquo modo, tamen minus proprio, eiusmodi quiditatuæ veritates in tempore esse dici possint.

Propositio 1.

160 **E**ns siue possibile, siue impossibile, quod suoapte essentiâ ita est affixum alicui determinatæ temporis parti, ut non possit non in eâ durare, si existeret, etiam quiditatuè consideratum, dum non existit, in tali tempore esse venit dicendum, in eoque

subinde habere omnes suas veritates quiditatiuas.

Quia vna ex veritatibus quiditatiuis talis entis ceteras omnes cum ipso identificatas transcendens est, illud de suo tali temporis parti correspondere, siue ipsi affixum esse. Sic quauis duratio hodierna possibilis etiam quiditatiue considerata cum omnibus suis quiditatiuis veritatibus hodie esse dicenda est, quatenus snapte essentiali habet, esse durationem hodierno temporis correspondentem quoad totam suam physicam entitatem. Tantumdemque est de quauis duratione hodierna possibili, hoc ipso, quod ex conceptu suo est duratio hodierna, de ceterisque similibus entibus.

Propositio 2.

151 Ens siue possibile, siue impossibile, quod snapte essentiali est indifferens ad existendum in quouis tempore ex hypothesi, quod existat, ad subeundamque proinde ex eadem hypothesi durationem superadditam cuius temporis correspondentem iuxta doctrinam statutam quaest. 1. tamen conceptum seorsim cum praecisione ab omni duratione nullibi esse concipiatur, re tamen ipsa quoad suam quiditatem, quoad omnesque suas veritates quiditatiuas semper, seu in omni tempore successiue esse dicendum est, quantumuis existens non sit.

Quia huiusmodi ens, licet prout praecisum ab omni duratione superaddita in nullo tempore concipiatur esse, non solum, quando quoad esse quiditatiuum, sed etiam, quando quoad esse existentiale concipitur; eo quod a sola duratione superaddita fortiri potest esse in aliquo tempore; re tamen ipsa, quia intra statum quiditatiuum, consortium habet cum omnibus propriis durationibus correspondentibus snapte essentiali omnibus partibus temporis successiue fluentibus, non potest non intra talem statum ab ipsarum quiditate fortiri, esse quoad quiditatem successiue in omnibus temporis partibus; uti ab earum durationum existentia fortiretur esse quoad existentiam in illis, si simul cum ipsis existeret; cum eisdemque subinde haberet consortium intra statum existentiale. Cuius ratio conspicua est, ut dicebamus in simili quaest. 10. citata disput. 5. Quia, sicut, quod haberent omnes dictae durationes per se existentia, si existerent, id habent quiditatiue, dum non existunt, iuxta proposit. 1. ita quod praestarent, si existerent, enti praedicto existentia, id praestant ipsi quiditatiue, dum non existunt; ponere videlicet illud in omnibus partibus temporis, quibus ipsa respondent. Etenim, ut est essentiali cuius durationi hodierna praedicti entis existere hodie, si existat; ob idque etiam quoad quiditatem dicitur ea hodie esse. Ita est essentiali coniuncto ex tali duratione, & tali ente sumpto indiuisim existere hodie, si existat; ob idque illud pariter etiam quoad quiditatem esse hodie dicendum est. Tantumdemque est de coniuncto eiusdem entis, & qualibet alia ipsius duratione cuiuslibet alij parti temporis correspondente.

162 Ex his inferitur, ens quoque affixum snapte

essentiali determinatae temporis parti in ceteris omnibus successiue esse quoad suam quiditatem, quoad omnesque suas veritates quiditatiuas per superadditas durationes talibus partibus correspondentes snapte conceptu. Quamquam enim huiusmodi superadditae durationes impossibiles sint quoad statum existentialem: quia prorsus repugnat, ut ens vni parti temporis affixum snapte essentiali per superadditam durationem existat in alijs temporis partibus, ut dicemus quaest. 9. nihilominus eo ipso, quod tales superadditae durationes, quantumuis impossibiles, ex conceptu suo quiditatiuo sunt durationes talis entis in talibus temporis partibus, non potest non ens ipsum reddi ab illarum consortio intra statum quiditatiuum habens in eisdem temporis partibus suum esse cum omnibus suis quiditatiuis veritatibus, non minus, ac redditur ens non affixum vlli temporis parti a consortio suarum possibilium durationum iuxta nuper dicta, prout etiam diximus in simili supra disput. 7. quaest. 10. Id quod intelligendum est de durationibus superadditis enti praedicto cum diuisibilitate penes diuisibilitatem temporis, cum indiuisibilitate, per sui que subinde replicationem respondentibus temporis diuisibili, eoque aut finito, aut infinito vel ab altero dumtaxat latere, vel ab utroque; quas etiam non solum respectu entis praedicti, sed respectu cuiusuis alterius esse impossibiles vniuersae statum relinquimus iam supra quaest. 3.

Vnde rursus inferitur, ens indifferens ad existendum in quouis tempore non solum correspondere omni temporis quiditatiue sumptum per durationes sibi possibiles eandem, ac tempus ipsum diuisibilitatem habentes iuxta statutam propositionem; sed insuper per durationes sibi impossibiles indiuisibiles relate ad tempus, atque adeo non per suarum partium distributionem, sed per sui totius replicationem correspondentibus temporis diuisibili, eoque vel finito, vel infinito aut ab utroque latere, aut ab altero.

164 Ex quibus denique inferitur, nullum esse excogitabile ens siue possibile, siue impossibile, (loquor semper de impossibilibus habentibus in se quiditatem iuxta doctrinam datam in Pharo Scient. disput. 11.), quod consideratum quiditatiue non correspondeat successiue omnibus omnino partibus temporis vna cum omnibus suis passionibus, cum omnibusque suis durationibus iam impossibilibus, quam possibilibus, tam respondentibus etiam quiditatiue sumptis per se ipsas, quam per alias superadditas durationes eisdem temporis partibus.

165 Ex quo tandem sequitur in singulis instantibus temporis successiue esse intra statum quiditatiuum omnia omnino entia excogitabilia, a Deoque cognita tum impossibilia, tum possibilia; (sub quibus durationes etiam entium complectimur; quia quaedam entia sunt); atque ita in singulis instantibus temporis intra statum quiditatiuum infinitas infinita aggregata esse entium, quorum multa possibilia, pleraque vero impossibilia sunt relate ad existentiam. Hoc tamen non interest ad rem. Cum veram nihilominus a Deoque vere indicabilem quiditatem habeant intra talem statum, ut ponimus ex dictis disput. 11. citata Phari Scient. veretque subinde quoad illam singulis instantibus temporis possint correspondere; de factoque subinde correspondent: nec possint non correspondere, prout constat ex dictis.

165 Supererat hic inquirendum, an etiam veritates conditionatæ tum quiditativæ, tum existentiales, quæ entibus absolute non existentibus reuera conveniunt iuxta doctrinam de eorum statibus traditam in Pharo Scient. disput. 10. etiam dicendæ sint aliquo modo esse in tempore, sive in partibus temporis; & in quibus. Cui quæstioni respondeo vno verbo, in eo tempore, in ijs ve temporis partibus dici debere veritates conditionatæ esse, in quibus essent absolute ipsi correspondentes, casu, quod earum conditiones purificatæ essent. Quia in quo tempore unumquodque esset absolute reuera, casu, quod purificaretur conditio, sub qua est verum conditionatæ, in eodem vtrique venit haud dubie dicendum esse illud sub conditione, dum non est purificata conditio, sed tantum supposita per hypotheseim. Et quoniam omnes veritates quiditativæ absolute in omni tempore sunt iuxta dicta; eodemque iure in omni tempore erunt veritates quiditativæ conditionatæ, si, purificatis conditionibus, transeant in absolutas, in omni pariter dicendæ sunt esse iam modò ipsæ veritates conditionatæ. Quoniam item omnis veritas existentialis absoluta in aliquo, aut in omni tempore necessario esse debet: quia non potest quidpiam existere, & in nullo tempore existere, vt supra quæst. 6. statutum est; proindeque vnaquæque veritas conditionata existentialis, si, purificata conditione, in absolutam transeat, in aliquo, aut in omni tempore similiter esset. Consequens est, vt etiam num vnaquæque veritas conditionata existentialis in eo tempore aut finito, aut infinito dicenda sit esse, in quo esset in absolutam translata per purificationem conditionis.

167 **O**bservandum tamen est ad extremum, quemadmodum de veritatibus quiditativis absolutis, aut de conditionatis tum quiditativis, tum existentialibus entium absolute non existentium dicitur, eas esse reuera in tempore vel finito, vel infinito, ita pariter dici posse de veritatibus similibus entium absolute existentium prout in suis statibus concipiuntur, reueraque sunt antecedenter ad existentiam absolutam talium entium, & præcendendo ab illâ. De vtrisque enim prout in suis statibus præcendentibus ab existentia absoluta eadem, quod ad rem attinet, ratio est.

QVAESTIO IX.

Qualiter unum, vel plura entia cum una, vel pluribus durationibus in una, vel pluribus temporis partibus comparata se habere possint.

168 **N**onnulla alia, quæ de duratione rerum in tempore advertenda restant, per analogiam ad dicta in simili supra disput. 5. de ubicatione rerum in loco in hac quæst. sub præfixo titulo à nobis colligenda sunt; & per sequentes propositiones edisterenda.

Propositio 1.

169 Plura entia tam spiritualia, quam corporea, tam substantialia, quam accidentalialia simul in eodem tempore temporaliter penetrata possunt existere naturaliter. De factoque existunt.

Propositio est certissima. Quia ita se habent omnia entia spiritualia, & corporea, substantialia, & accidentalialia creata à Deo, quæ cum Deo ipso in toto Vniuerso simul in eodem tempore de facto existunt, & perseverant.

Propositio 2.

170 Aliqua entia sunt, quæ naturaliter simul in eodem tempore temporaliter penetrata non possunt existere. Aliqua autem quæ neque supernaturaliter possunt.

Prima pars propositionis constat in entibus, quæ naturaliter sunt opposita aut respectiue ad idem subiectum, vt plures formæ respectu eiusdem materiæ; summus calor, & summum frigus respectu eiusdem corporis; plures præsentia in pluribus locis respectu eiusdem entis; plures præsentia plurium corporum respectu eiusdem loci; & similia. Hæc namque extrema, qua ratione sunt inter se opposita, in eodem tempore simul existere non possunt, vt constat. Vt sicque propterea etiam respectu eiusdem temporis opposita sunt.

171 Secunda autem pars propositionis constat similiter in entibus, quæ non naturaliter solum, seu physicè, sed metaphysicè, & simpliciter sunt inter se opposita, adeo, vt contradictionem implicet, ea coniungi aut in eodem subiecto, & consequenter item in eodem tempore; vt sunt iuxta probabiles sententias peccatum mortale, & gratia; assensus, & dissensus; amorque, & odium eiusdem obiecti: aut per se primò in eodem tempore; vt sunt durationes affixæ essentialiter diuersis temporibus; cognitio essentialiter vera de negatione præsentis alicuius rei, & res ipsa; & vniuersè quilibet binarius entium, quorum alterum metaphysicè cum alterius negatione est conexum.

Propositio 3.

172 Impossibile est existere modum, qui existat in eadem parte temporis, aut saltem in immediatâ res, cuius est modus.

Dico, aut saltem in immediatâ. Quia sicut dantur modi, qui solum exposcunt suapte essentia, quod existant in loco sibi immediato res, quarum sunt modi, iuxta dicta disput. 5. quæst. 13. ita censeo posibles modos, qui solum exposcant suapte essentia, quod existant in tempore sibi immediato res, quarum sunt modi. Vtrum autem sint huius generis de facto continuatiua rerum successiuarum, alibi suo loco dicitur. Præter hos autem, ceteros modos essentialiter postulare, vt simul in eodem tempore secum existant res, quarum sunt modi, apud omnes est in confesso. Nam id manifeste præferunt eorum conceptus, vt etiam ex dictis loco citato satis, superque constat.

173 Ex hac propositione infertur primò, vniuersum nem